



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Annus Cisterciensis

In quo Pia, Et Brevi Apostrophe proponuntur Veneranda, & Imitanda Gesta  
præcipua, & eximiæ Virtutes Sanctorum ac Beatorum utriusque sexûs  
Ejusdem Sacri, Et Ab Origine Sua Exempti Ordinis

**Meglinger, Joseph**

**[S.l.], Anno MDCLXXXIII.**


22. Novembris. 10. Cal. Decemb.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45314**

Eugenio Omulkéram suspensus & in frustra concisus cum Christo compassus es, utique, quod tua in fide constantia merita est, conregnaturus. *Qualem à nobis crucem quotidie tolli, ac portari Christus desideret, querere simul & metuere ejus gravitatem infirmitas humana potest, cum pendentem in Cruce Deum suum cernit, sed hanc mihi levem reddere potest expositio, quam tradit*

S. BERNARDUS, s. l. in Paschae.

*Gemæ Crucis Christi* His quatuor virtutum gemmis quatuor cornua Crucis ornantur: est siquidem in eminenti Charitas, à dextris Obedientia, Patientia à sinistris, radix virtutum Humilitas in profundo. His ditavit trophæum Crucis consummatio Dominice Passionis.



22. Novembris. 10. Cal. Decemb.

*Passi hac die anno 1536.* BEATI Martyres Anglicani, jam Angelicis sociati choris, RICHARDE Abbas Glastemburiensis, JOANNES Torne, & ROGERI James, hac die ab impio Rege Henrico VIII. ad laqueum damnati, indeque membratim discerpti. Erravisti, vesana hæresis: auxisti coronas, dum plures in partes dila-



tes dilaceras non tam humana quàm Christi membra: totidem fecta tulere victores, quoties divisi de te, bestia, triumpharunt. *Sed nec ego, nisi victor, ad vestram audebo gloriam aspirare; nec etiam vincam, nisi vestro adjutus auxilio: hoc à vobis & peto supplex, & expecto spe plenus in extremo certamine.*

B. GREGORI, Obacinæ Abbas: *Floruit*  
 qui majorem temporis partem tibi ad *circa*  
 contemplationem rerum cœlestium *annum*  
 seponere solebas. In qua aliquando *1221.*  
 defixus duos soles vidisti in cœnobi-  
 um tuum dilabi, quorum splendor to-  
 tam circum circa viciniam illustrabat. *Reve-*  
 De hujus autem ostenti significatione *latio*  
 ambiguus cùm in Claustrum oraturus *celebris*  
 descenderes, in duos Divi Domnici *de Ord.*  
 alumnos incidisti: quibus non sinè *Predi-*  
 summa consolatione retulisti, quo *catorum.*  
 gratiæ loco apud DEUM sit illud no-  
 viter orbi exoriens Institutum, tibi  
 tam illustri visione ostensum. *Ea est*  
*intellectus humani natura, ut à perpetuo*  
*cogitationum motu nunquam quiescat.*  
*Sed felix est, qui instar primi mobilis men-*  
*tem occupat rebus cœlestibus: miser, qui*  
*vanas, inutiles, ne dicam sordidas quis-*  
*quillas in sua memoria circumfert. Illa*  
*mentem instar sapidissimi cibi impinguant*  
*& nutriunt, hæc omni decore spoliant.*

S. B E R -



Res spirituales ci-  
bus sūt animæ.  
Cibat nos pane vitæ & intellectus, &  
potat aqua sapientiæ salutaris. Est  
enim intellectus rerum spiritualium  
& invisibilium verus anima panis,  
confirmans cor nostrum & ad omne  
opus bonum corroborans in omni ex-  
ercitatione spirituali.



23. Novembris. 9. Cal. Decemb.

Obijt anno 1223.  
Scripsit clarus.  
& re- velati- onibus.  
B. GUILIELME, Episcopo Altifi-  
odorensis primū, dein Parisien-  
sis, utrobique magnus virtute & eru-  
ditione; quam præter alia opera pro-  
dit Theologiæ Summa à te doctissime  
juxtà ac subtilissime conscripta: sed  
tum denique eras maximus, quando  
spretis honorum ornamentis ultimos  
vitæ annos Monachus Pontigniacen-  
sis transegisti. Ibi animo semper inter  
cœlestia commorante plurima cog-  
novisti arcanæ: præsertim eorum pæ-  
nas vel præmia in orbe altero, quos  
monitis tuis habebas vel contempto-  
res vel obsequentes. Admittam & ego  
hanc considerationem frequentius de fu-  
tura alterius vitæ mercede. Serio ibi agi-  
tur, ubi in utramque partem pondus ad-  
dit im-